

adeòque ego non potui adhibere ea quæ non noveram, neque proprio, neque alio Marte. Si reperiam hanc notam meliorem (utpotè breviorè), eam assumam. *Chironia herbacea*, *Saxifraga procumbens*, *Santolina tomentosa*: hæc attributa competunt toti plantæ, præsertim *procumbens* et *tomentosa*, tam cauli, quàm ramis et floribus.

Distinctionem facis inter *pinnata* et *pennata* folia; nota certè necessaria, et nomine quidem apta, sed vercor quòd hic sonus adeò similis pariat confusionem, et unius litteræ transformatione causet diversam ideam, cùm qui antè nos scripsère, alii usi sunt vocabulo *pinnato*, alii *pennato*; ego quidem promitterem, me in his vocabulis cautum, sed an omnes hoc idem queant, ego difficilè inducor ut credam.

Scribis *Polycnemum* esse *Tetrandrum*; doceas me, quæso, ex quâ specie hoc desumpsisti, et scribas perfectum characterem. An petala in tuâ 5? Vix 4 stamina cum quinque petalis.

*Turritis Lobelii* \* videtur varietas *Turritidis* 1<sup>ma</sup> speciei *Hort. Cliff.*

---

\* LOBEL (MATHIAS), 1558-1616, né à Lille, étudia la médecine à Montpellier et devint médecin et botaniste de Jacques I<sup>er</sup>, en Angleterre. Le mérite de ses travaux en botanique fit donner par Plumier le nom de *Lobelia* à un genre de la famille des *Campanulacées*.